

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Hieronymi Kromayeri ... Theologia Positivo-Polemica

In qua Controversiae Lutheranis cum Pontificiis, Calvinianis, Remonstr. Socin. Anabapt. Weigel, Judaeis ... inseruntur. Cui praefixa est Diaskepsis Articulorum fidei fundamentalium generalis, & cuilibet loco specialis, sedes in ordine analytico, & libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis, una cum ...

In qua Articuli Fidei nervosè ac perspicuè proponuntur, succus singulorum in succinctos Aphorismos contrahitur, deducitur ... resolvitur; Opus Posthumum

Kromayer, Hieronymus

Francofurti Ad Moenum, 1683

Locus XI. De evangelio

[urn:nbn:de:bsz:31-142812](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142812)

rūmenimverò iustissimus iste Legislator tulit istas leges, ad certum duntaxat tēpus duraturas, quamdiu nimirum staret templū & forum Mosaicum. Unde sapius hāc loquendi formā scriptura V. T. utitur: Hæc servabitis in generationibus vestris. De abrogatione quoque legum ceremonialium *Jerem. 3. & Dan. 9. forensium Gen. 49. prædicitur.* Quod autem post ascensionem Salvatoris in Cælum nihilominus adhuc ab Apostolis observata fuerint istæ leges, id propterea factum fuit, ut cum honore sepeliretur Synagoga Mosaica. Sic Paulus *Timotheum circumcidi voluit, Actor. 16. vers. 3. Titum circumcidi non voluit propter falsos fratres obiter subingressos ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Christo IESU Galat. 2. v. 3. 4.* Ut res itaq; indifferentes tolerarunt, donec doctrina de Christiana libertate radices altiores ageret, & ipsæ intermissione usus sensum evanescerent. Si quis autem

ex necessitate circumcidi voluisset, de illo pronunciat Apostolus *Galat. 5. v. 2, 3, 4.* quod à Christo sit evacuatus, quod debitor sit totius legis servandæ, quod à gratia exciderit. Præterea, destructo templo & foro Judaico, leges ceremoniales & forenses ad Ecclesiam & Rempublicam Christianam applicari non possunt. Ubi tamen distinctiones inter genus & speciem, inter id, quod morale ac ceremoniale, vel forense in istis legibus occurrit; inter observationem & significationem; inter necessitatem & libertatem observationis sunt repetendæ. *Hebr. 7. 18.*

§. 2. *Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut doctrinam de legibus ceremonialibus & forensibus rectè teneamus.*

§. 3. *In polemicis adversus Judæos, Carolstadium & Anabaptistas quosdam, jus ex Mose in foro Christiano dicendum esse statuentes, usus aphorismi hujus esse potest.*

p. 289

Locus XI.

De

EVANGELIO.

§. 1.

E*Tymologia.* Cum lex per fidem stabiliatur, doctrinam de lege doctrina de Evangelio sequitur. Vox *Evangelii* origine Græca est à verbo *εὐαγγέλιον* i. e. lætum nuncium afferro descendens, propterea, quod lætitiā animis perterrefactis afferat: civitate verò Latinā propter emphasin, ut alia vocabula multa *ἑτάθηται* Græca, fuit donata. Hebræis vocatur *בְּשׂוּרָה* i. e. *nuncium* à ra-

dice *בְּשׂוּרָה* i. e. *mollia, carnea dixit.* *בְּשׂוּרָה* enim carnem significat. In Piel *בְּשׂוּרָה* i. e. *evangelizavit, bonum nuncium attulit.* Inde *מְבַשְּׂרָה* i. e. *Evangelista, bonus nuncius.* *Homonymia.* Vox *Evangelii* stylo Biblico *εὐαγγέλιον* potissimum accipitur 1. generaliter pro tota doctrina cœlesti, quatenus Legem & Evangelium strictè dictum ambitu suo complectitur, ita tamen ut à potiori fiat denominatio. Ita sumitur

sumitur *Marci 16. vers. 15.* *Ite in mundum universum & predicate Evangelium omni creatura.* 2. specialiter pro doctrina de Christo, vel gravita peccatorum remissione propter Christum. In hoc significato prima promissio Protoplastis facta de semine mulieris contrituro caput serpentis *πρωτευαγγέλιον*, promissio Abraham & ipsius posteris facta de semine benedicto, in quo benedicendae sunt omnes familiae terrae *πρωευαγγέλιον Gal. 3. v. 8.* dicitur. In hoc significato speciali opponitur legi. 3. specialissimè pro concione de Christo exhibito & opponitur τῇ ἐπαγγελίᾳ i.e. promissioni, quæ est concio de Christo exhibendo. In hac significatione non fuit in V.T. Ex oppositione itaque de significatione statuendum. Specialissimus hic significatus occurrit *Act. c. 13. v. 32.* *Ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα τὴν ἐπαγγελίαν περὶ τοῦ πατρὸς γινόμενῃ.* i.e. *Nos vobis annunciamus promissionem, qua Patribus facta est.* Ut etiam *Rom. 1. v. 1. & 2.* Paulus servus JESU CHRISTI segregatus eis εὐαγγέλιον Θεοῦ, ὃ προεπηγγέλματο Ἀβρὰ τῶν προφητῶν i.e. *ad Evangelium, quod ante promiserat per Prophetas.* In hac itaque significatione non fuit Evangelium in V.T. sed promissum. Ita verbum εὐαγγελίζομαι in strictissima significatione pro concione de CHRISTO exhibito sumitur *Luce 2. v. 10.* cum Angelus ad Pastores inquit: *Ἰδὲ ἡ εὐαγγελίζομαι v. 10.* *Ecce enim annuncio vobis actu completam promissionem de Messia exhibendo.*

p. 290

§. 2. *Definitur Evangelium*, quod sit doctrina de gratuita peccatorum remissione propter CHRISTUM. Hæc lucem capit *ex c. 4. Luce v. 18.* quando Salvator dictum Propheticum *Es. 61. v. 1.* in se completum dicit: *Spiritus Domini su-*

per me, propterea quod unxit me, ad evangelizandum pauperibus (Spiritu) misit me, ut sanem contritos corde, ut predicem captivis remissionem & cæcis visum, ut emittam contrafactos per remissionem, ut predicem annum Domini acceptum. Nec enim ut Sociniani somniant, gratuita peccatorum remissio & satisfactio sibi repugnant. Gratuita siquidem non respectu meriti CHRISTI, sed nostri dicitur. Ideo scriptura CHRISTI redemptionem cum gratia conjungit, ut *Rom. 3. v. 24.* *Justificamur gratis per gratiam, per redemptionem CHRISTI JESU, quæ proposuit DEUS propitiatorium per fidem in sanguine ipsius.* Ubi nulla est ἀδολογία, cum particula gratis cum gratia conjungitur. Prior enim καὶ ἄριστῳ meritū ex nostra parte tollit: posterius καὶ Θεοῦ veram justificationis causam efficientem gratuitum DEI favorem, ponit. In fontibus ἀδολογία locum minus invenit. Ibi enim legitur *δωρεάν τῇ χάριτι*, Lutherus: *Unde werden ohne Verdienst gerechtfertigt durch seine Gnade.* Fuerunt ex sociis Aug. Confessionis, qui per concionem pœnitentiæ Evangelium descripserunt. Verum quia vox Evangelii nō accipitur in significatione stricta & propria, sed lata, quatenus totam doctrinam cœlestem lege & Evangelio pressè dicto cōstantem ambitu suo complectitur, vox etiam pœnitentiæ ambigua est, quippe quæ vel ἐλπίως de tota pœnitentia, vel μετρηκώς de parte istius contritione sumitur, sententiam hanc non immeritò missam facimus, prout etiam in Form. Conc. strictè dicta art. 5. fuit rejecta. Pontificii Evangelium definitur, quod sit nova lex gratiæ viribus aucta. Ex Christo siquidem novum Legislatorem faciunt, qui legibus Moisaicis novas adjecerit.

§. 3. Præter

§. 3. Præter differentiam genericam, quod nova lex sit, specificam etiã addunt, quod gratiæ viribus sit aucta, quasi Patres V. T. gratiã & vires implendi legem nõ acceperint. Hinc etiam V. T. Sacramenta gratiã non contulisse, sed tantũ significãsse, nec ex opere operato, sed opere operantis profuisse volunt. Quidam auxilia gratiæ per Evangelium intelligunt. Sed Evangelium in legem mirã metamorphosin commutant, & articulum de justificatione peccatoris coram DEO, unum ex præcipuis, in multis modis corrumpunt. Inter
 p. 291 alias hujus erroris hypothesen non ultima fuisse videtur, quod passionis Dominicæ fructum post peractũ demũ redemptionis negotium cœpisse volunt, & per gratiã dona saluti gratiæ intelligunt. V. g. Quando legunt *Joh. 1. v. 17. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Christũ facta, per gratiã dona gratiæ & hæc demũ post prolatũ in cruce verbum, Consummatum est, orta capiunt, cùm inter actũ & fructũ satisfactionis Dominicæ limitibus accuratis distinguere deberent. Satisfactionis actus quidẽ in plenitudine temporis cœpit, sed fructũ antorsum & retrorsum valet. *Jesus Christus heri & hodie & idem in secula Hebr. 13. v. 8.* Promissiones certẽ Patres V. T. habuerunt de semine mulieris cõtrituro caput serpẽtis, de semine benedictio, in quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ, de Jehovah justitia nostra, *σωτηριον* promissum exemplo Jacobi *Gen. 49. v. 18.* & Davidis *Psal. 119. v. 116.* fide apprehenderunt, futurum Messiam in sacrificiis occidi & comburi viderunt, & conjiciendo peccata sua in has ipsas victimas à peccati reatu liberati fuerunt. Prævaricationes etiam eorum, qui erant sub V. T. Christus suã morte sustulit, *Hebr. 9. v. 15.* Unde Pe-*

tr^o *Act. 4. v. 12.* dicit, non esse aliud sub cœlo nomen, in quo nos oporteat salvari, quã nomen *JESU*, & *Act. 10. v. 43.* Huic *JESU* Prophetas omnes testimonium perhibere, peccatorum remissionem in nomine ipsius accipere, quotquot crediderint in eũ. Quibus adde caput *Act. 15. v. 10.* Quid tentatis Deum imponendo jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec Patres nostri (sc. V. T.) portare poteramus, sed per gratiã Domini nostri *Jesu Christi credimus nos salvos fieri, quemadmodum & illi.* Hoc tantũ inter fidem nostram & Patrum V. T. fidem interest, quod hi crediderint in promissum, nos in missum: hi crediderint in exhibendum, nos in exhibitum secundum versiculum:

Tempora sunt Patribus, non variata fides. Nec obstat canon iste Topicus: Effectus nõ est prior suã causã, quia tantũ in naturalibus obrinet: in moralibus autem & voluntariis effectus suã causam multoties antecedit. Sic captivos dimitti videmus, antequam *λύτρωσιν* actu persolvatur, modò sufficienter caveatur. Sed decreta & promissiones divinæ de futuro liberatore certitudine suã nexum omnem, qui est inter causam & effectum physicum, superant. Nec voce gratiæ semper gratia secunda, vel sanctificans i. e. donum gratiæ, sed maximè gratia prima, vel justificans, vel gratuitus DEI favor CHRISTI merito nixus, peccata nobis remittens, intelligitur.

§. 4. Socinianis Evangelium est doctrina de danda immortalitate iis, qui novis Christi præceptis obediunt. Sed easdem propemodum tibiis cum Pontificiis inflant, ex Christo novum legislatorem, qui præceptis Moisaicis adjecerit, facientes. Hic error cùm in præcedente loco refutatus fuerit, nihil amplius adjicimus.

Ff

De

De gradibus obedientiae tantum monemus, quod Sociniani, rigidissimam in V. T. à DEO requisitam fuisse obedientiam praeceptorum Mosaicorum; in N. T. aliquali studio praeceptorum Christi contentum esse DEUM, velint. Verum enim verò, si per justitiam legalem coram tribunali divino justificari velimus, rigidissima tam in V. quam N. T. requiritur obedientia, ut sc. DEUM ex toto corde, ex tota anima & omnibus viribus nostris diligamus & proximum nostrum, sicut nos ipsos *Matt. 22. v. 17.* ut permaneamus omnibus praeceptis legis, *Gal. 3. v. 10.* nobis opus est.

§. 5. Alias differentias legis & Evangelii nos; alias Pontificii constituunt. Nobis lex & Evangelium differunt 1. patefactione. Legis doctrina magnam partem est naturalis: Evangelii verò doctrina tota est supernaturalis. Gentes ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam defendentibus, Apostolus inquit *Rom. 2. v. 15.* De doctrina Evangelii Johannes in haec erumpit verba c. 1. historiae suae Evangelicae *v. 18.* *DEUM nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et Paulus *Rom. 16. v. 25. 26.* *Ei, qui potens est vos confirmare secundum Evangelium meum, & praconium Jesu Christi juxta revelationem mysterii temporibus aeternis taciti, manifestati verò nunc, & per scripturas Propheticas juxta delegationem aeterni Dei, in obedientiam fidei in omnes gentes patefacti, soli sapienti Deo per Jesum Christum gloria in secula, Amen.* 2. Lex & Evangelium differunt doctrinae forma. Lex vitam promittit operantibus: Evangelium credentibus: lex omnibus numeris completam obedientiam requirit: E-

vangeliū remissionem peccatorū propter Christum annunciat. *Lev. 18. vers. 5.* *Qui fecerit ea homo, vivet in eis.* *Rom. 2. v. 13.* *Factores legis justificabuntur.* *Rom. 3. v. 21. 22.* *Ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiae.* Sunt, qui legis tantum promissiones non Evangelii conditionatas volunt. Sed inter conditionem operis & organi distinguendum est. Qui conditionem promissionibus Evangelicis denegant, conditionem operis, non organi volunt intellectam. 3. Lex & Evangelium distinctis officiis differunt. Lex peccatum arguit & Pædagogus ad Christum fit: Evangelium per obedientiam Christi nos justos constitui dicit. *Rom. 3. v. 19.* *Scimus, quod quaecumque, lex dicit, his, qui in lege sunt, dicat, ut omne os obturetur & totus mundus reus fiat DEO.* Propterea, quod ex operibus legis non justificabitur ulla caro in conspectu ejus. *Per legem enim agnitio peccati.* *Rom. 5. v. 19.* *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi: Sic per obedientiam unius justis constituentur multi.*

§. 6. Pontificii praesupponentes per legem scripta Moysi & Prophetarum, per Evangelium scripta Evangelistarum & Apostolorum intelligi, differentias alias inter legem & Evangelium constituunt. Primo differunt iisdem, ut inchoatum & consummatum. 2. quod lex per Moysen data sit, qui Legislator tantum fuit: Evangelium per Christum, qui non Legislator solum, sed & Redemptor fuit, & gratiam (dona gratiae) nobis attulit. 3. quod lex Moysi uni tantum genti, Judæis scilicet. Lex Christi omnibus gentibus data fuit. 4. quod lex umbras & figuras rerum futurarum, Evange-

Evangelium ipsum corpus complectatur. 5. quod Lex Mosis, adveniente Christo, mutanda fuit, legi Christi nulla succedat. 6. quod lex Mosis non habeat vim justificandi, neque data sit, ut justificaret, sed ut morbum ostenderet & ad quarendū Medicum nos compelleret: lex autem Christi vim justificandi habeat. Hinc etiam caelum usq; ad Christi ascensum oclusum fuisse, tum temporis autem demortuos in limbo Patrum poenam damni passos fuisse volunt. 7. quod lex Mosis lex timoris & servitutis fuerit, Evangelium lex amoris & libertatis sit. 8. quod lex Mosis fuerit onus ἀβάστατον i.e. portatu impossibile: lex Christi sit jugum suave ac onus leve.

§. 7. Hæ sunt differentiae inter legem & Evangelium ex Pontificiorum sententia intercedentes, quibus pars non exigua systematis Theologici Pontificii lucem accipit. Nos reponimus ad differentiam primam, si perfectum sumatur ratione claritatis, quod sc. N. Test. sit lucidius vetere, nos concedere posse, novum veteri Testamento esse perfectius: si ratione finis, quasi salutem ex doctrina divinitus patefacta Patres ante Christum exhibitū consequi non potuerint, negamus. Ad secundam, quod Christus nullatenus novas leves tulerit, sed Mosaicas à corruptelis Pharisaicis repurgaverit: nec gratiam tantum secundam, sed & primam; non sanctificantem duntaxat, sed & justificantem acquisiverit. Ad tertiam, quod licet DEUS Judæos λαὸν ἐλεῖσθι i.e. peculiariter populum sibi legerit, alias tamen gentes ab hujus aggregatione non exclusit. Unde duplicis generis profelyti, justitiae & portæ, dabantur. De quibus alibi. Ad quartam, quod de differentiis legis moralis & Evangelii, non ceremonialis agatur: umbræ verò pertinent ad legem ceremo-

nialem. Ad quintam, quod lex moralis tanquam æterna & immota justitiæ divinae regula nullatenus, adveniente Christo, fuerit mutanda, sed potius istius observatio à Christo & Apostolis nobis præcepta. *Cælum prius & terra transire debet, quàm jota, vel apex unus de hac lege in terrâ decidat, Matth. 5. v. 18.* Ad sextam, quod lex in se doctrina vivifica sit secundum illud *Lev. 18. v. 5. & Gal. 3. v. 12. qui fecerit ea homo, sc. præcepta legis, vivet in eis,* prout etiam in statu integritatis Protoplasti per observationem legis fuissent justificati, sed quod non amplius sit doctrina vivifica, per accidens sit, propter corruptionem nostræ naturæ, prout in hanc ipse Apostolus *Rom. 9. v. 4.* causam conjicit, cum inquit: *Quod impossibile erat legi, siquidē per carnem infirmabatur, id præstitit Deus, misso Filio &c.* Si per legem Christi doctrina Christi de gratuita peccatorum remissione intelligitur, prout vocabulum **חַיִּים** in genere doctrinam significat, nō negamus, ex eadem vitam nos habere, sed illa doctrina Patrib⁹ etiam V. T. non fuit ignota. Ad septimam, quod lex Mosis sit doctrina timoris & servitutis, non imus inficias, sed quod Christus fuerit novus Legislator, negamus. Ad octavam, si esset eo modo, quo Pontificii volunt, onus esset gravius lege Mosaicâ.

§. 8. Ad doctrinam de lege ac Evangelio doctrina de pacto legali & Evangelico non exigui usus pertinet. Pactum Hebræis vocatur **ברית**, quod à quibusdam per vocabulum *συνθήκης*, à quibusdam per vocabulum *διαθήκης* redditur. Si tamen usum Græcorum autorum respicimus, *συνθήκη* propriè pactiōem fœderalem, *διαθήκη* voluntatis ultimæ dispositionem significat. Interpres LXX.

FF 2

viralis

viralis & Nov. Test. vocem quidem διαθήκης semper habent, sed sub diversa significatione. Pro pactione siquidem foederali sumitur *Ex. 24. v. 8.* & ad *Hebr. 9. v. 20.* ubi citatur hic locus: *Τὸ τοῦ αἵματος διαθήκης* i. e. *hic est sanguis Testamenti*: ad quæ verba Exodi Christi alludens *Matth. 26. v. 28.* in eadem significatione vocem διαθήκης accipit, quod vocabulum καὶνῆς ibidem additum ostendit. Pro dispositione voluntatis ultimæ ad *Gal. 3. v. 15.* sumitur: Διαθήκην hominis confirmatam, scil. morte, nemo facit irritam. Vox Testamenti licet ut plurimum in usu communis pro dispositione voluntatis ultimæ sumatur, priorem tamen significationem non excludit.

§. 9. In Theologia nostra vocabulum V. & N. T. *τερχῶν*, potissimum accipitur. 1. Vox Veteris Test. pro pacto legali, quod DEUS fecerat cum populo Israël. *Ex. 24. v. 8. Gal. 4. v. 24. Hebr. 9. v. 15.* 2. Pro scriptis Moysi & Prophetarum. 2. *Cor. 3. v. 14.* *Usq. in hunc diem idem velamen in lectione V. T. librorum Moysi & Prophetarum* (à potiori factâ denominatione) manet. Sed instrumentum commodius in hac significatione appellatur. 3. Pro tempore umbrarum, quod opponitur tempori *τῆς ἐνανθρωθώσεως* i. e. correctionis. Sic dicimus, hoc vel illud factum fuisse in V. T. i. e. ante Christum exhibitum, Patres V. T. fuisse circumcisos Christum in sacrificiis vidisse, in Messiam exhibendum credidisse &c. Novum Testamentum pariter triplici modo potissimum sumitur 1. pro fœdere gratiæ, vel Evangelico Christi sanguine in ara crucis acquisito ut *Matth. 26. v. 28. Hebr. 8. v. 13.* *Dicendo novum antiquavit vetus.* 2. Pro libris Evangelistarum & Aposto-

rum, denominatione rursus à potiori facta. 3. Pro tempore correctionis, quod exhibitionem Messia fuit secutum, in qua significatione dicimus, nos non amplius esse in Vet. sed Novo Test. sacrificiis materialibus in N. T. non esse locum &c.

§. 10. Desinitur Testamentum Vetus, quod fuerit pactum sanguine brutorum per Moysen stabilitum, quo DEUS populum Israëliticum ad servandam legem moralem, ceremoniæ & forensem sibi obstrinxit, eidemque rursus promittendo terram Canaan & omnis generis bona temporalia, his veið, qui legem perfectè adimplent, vitam æternam, semet obligavit. Testamentum novum est pactum sanguine Filii DEI firmatum, quo DEUS Evangelio, credentibus peccatorum veniam æternamque salutem se daturum promisit. Præsupponimus hic, aliud fuisse fœdus, quod DEUS cum primis Parentibus nostris in Paradiso iniit. Hoc enim perfectissimam obedientiam & legis cordis tabulis inscriptæ adimplerem numeris omnibus perfectam, sed ab iis, quib⁹ inerant adimplendi vires sufficientes, requirebat, nec habebat adjunctas legi morali ceremoniales & forenses leges, nec sanguine sanciebatur, nec Mediatore opus habebat.

§. 11. Testamentum vetus quod attingit, ut ipsius natura penitus cognoscatur, inter partes istius fœderis, cuius *Ex. 24. & Dent. 5.* mentio fit, & ipsum fœdus totum, præsertim quoad formale spectatum, distinguimus. Partium, ex quibus materiale fœderis integratur, vel conditionum fœderalium vestigia quædam cõparent in Genesi priusquam DEUS ex Aegypto populum suum eduxisset, & quidem ceremonialium, quod Patres ante &

post

p.296 post cataclysmū sacrificia sua obtulerint, quod non peregrino, sed cœlitus delato igne sacrificia sua cremaverint *Genes. 22. vers. 6.* quod inter animalia munda & immunda discrimen observaverint, *Gen. 7. v. 2.* quod habuerint suos Sacerdotes primogenitos *Gen. 49. v. 3.* quod officio Sacerdotali præfecti vestibus distinctis usi fuerint, *Gen. 27. v. 15.* Sic legum forensium rudimenta quædam *Gen. 39.* conspiciuntur, quod fratri ducere licuerit fratrem, & ita fratri defuncto semē suscitare, prout Thamari cum tribus fratribus successivē (uno post alterum extincto) consuescere licuit. Circa legis moralis observationem minus adhuc alicui subnasci potest scrupuli, cum vel ex sola *Genesi* facilē Decalogus Ante-Mosaicus extrui queat. Sic promissiones etiam temporales de terra Canaan, de multiplicatione seminis, de protectione divina, de beneficiis aliis hanc vitam spectantibus, antequam exirent ex *Ægypto*, Israëlitarū habebant. Conditiones dictæ post egressum ex *Ægypto* solemniter fuerunt repetitæ, literis consignatæ, auctæ (præsertim cum jam ad Ecclesiam & Politiam certam dirigeretur) & certi fœderis formā comprehensæ. Forma fœderis *Ex. 24. v. 3.* & seqq. describitur: *Venit Moses, & populo narravit omnia verba DOMINI, & omnia iudicia: & respondit omnis populus unā voce, dixitq;: Omnia verba, quæ locutus est Dominus, faciemus.* Post pauca: *Et accepit Moses dimidium sanguinis, scilicet brutorum, & posuit in cratere, & dimidium sanguinis sparsit super altare. Accipiens etiam librum fœderis legit in auribus populi, qui dixit: Cuncta, quæ locutus est DOMINUS, faciemus & obtemperabimus.* Tulit quoque *Moses* sanguinem &

sparsit super populum dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit DOMINUS vobiscum.* Locum hunc autor epistolæ ad *Hebraeos. 9. v. 19. & 20.* adducit, & illustrat: *Postquam Moses omne præceptum juxta legem exposuisset omni populo, sumto sanguine vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo simul & ipsum librum & totum populum adpersit dicens: Hic est sanguis fœderis, quod mandavit vobis DEUS.* Forma itaque fœderis in postulatione ac conditione obedientiæ, nec non sanguinis sparsione constitit. Quod non tantum observatio legis moralis, sed & ceremonialis ac forensis fœderi fuerit inclusa, non tantum ex universali particula, sed & voce iudiciorum, inprimis locis parallelis *Lev. 26. v. 45. 46. & c. 18. v. 5.* patet.

§. 12. Ex hoc ultimo loco, & verbis quidem sæpius in *N. T.* repetitis, qui fecerit ea, vivet in eis, quod *DEUS* perfectē servantibus legem ad quandam vitam æternam sese obstrinxerit, liquet. Cum autem propter intimam naturæ humanæ corruptionem *Israëlitarū*, & qui jungebantur istis *Proselyti*, quin & nemo mortaliū, pactis istis fœderalibus stare poterat, fœdus istud primum evasit *μεμπτόν* i.e. reprehensibile, ut Autor epistolæ ad *Hebr. c. 8. v. 7.* loquitur, non culpā ipsius Autoris sapiētissimi, vel fœderis in se spectati, sed partis alterius paciscentis, hominis scilicet per cuius carnem infirmabatur *Rom. 8. v. 3.* & novo quæsitus fuit locus. Hoc novum spectatur, vel ut promissum fuit Patrib⁹ *V. Test.* vel ut à *CHRISTO* sancitum fuit in ara crucis. De promisso *Jerem. 31. vers. 31. 32.* & seqq. agitur: *Ecce dies veniunt, dicit DOMINUS, & percutiam cum domo Israël, & cum domo*

Juda fœdus novum. Non sicut fœdus, quod pepigi cum Patribus eorum, in die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Egypti, quia ipsi dissolverunt pactum meum, etiam cum ego quasi Maritus dominium haberem in eos, dicit DOMINUS. Istud autem est fœdus, quod percussam cum domo Israel post dies illos, dicit DOMINUS: Dabo legem meam in interiora eorum, & super cor eorum scribam eam, & ero DEUS eorum, ipsi quæ erunt populus meus. Et non docebit ultra unusquisque proximum suum & Vir fratrem suum dicens: Cognosce DOMINUM, quoniam ipsi omnes cognoscent me à minore usque ad majorem eorum, dicit DOMINUS. Propitiabor enim (sc. per CHRISTUM ἰλασθῆναι, vel ἰλασµὸν) iniquitati eorum, & peccati eorum non amplius recordabor. Hoc fœdus Evangelicum, ut promissum fuit Patribus V. T. non rarò, sed perperam, cum fœdere legali confunditur, quia tota definitione differunt. Opponitur autem cognitio ista promissa informationi per umbras & quod superstites futuri sint Θεοδιδάκτοι i. e. à DEO docti. Cum enim DEUS πολυμεγέθης καὶ πολυτρόπος ad Patres V. T. locutus fuisset, in novissimis nobis locutus est per Filium Hebr. 1. v. 1, 2.

§. 13. De fœdere novo sancito, aut jamjam sanciendo, quod nobis applicatur in cœna, Christus loquitur Matth. 26. v. 28. *Hoc est sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Verba Salvator ex ore Moïsis depromit, quæ leguntur Exodi 24. *Hoc est sanguis Testamenti*, quibus Salvator addit, esse suum (non pecudum) & novi Testamenti sanguinem. Sic Paulus 2. Cor. 3. vers. 6. dicit: *DEUS idoneus nos fecit Ministros Novi Testamenti, non literæ, sed*

Spiritus. Nam litera occidit, Spiritus autem vivificat. Clarius de utroque fœdere Gal. 4. v. 21 & seqq. idem Apostolus ait: *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem ipsam non auditis? Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habebat, unum ex ancilla & unum ex libera. Verum is, qui natus erat ex ancilla, secundum carnem natus erat: qui verò ex libera per promissionem. Quæ per allegoriam dicuntur. Nam hæc verba sunt duo Testamenta, unum quidem à monte Sinai, generans in servitutem, qui est Agar. Nam Agar Sina mons est in Arabia, confinis est autem ei, quæ nunc vocatur Hierosolyma: Servit autem cum filiis suis. At, quæ sursum est, Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Scriptum est enim: Letare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quoniam multi liberi deserta magis, quam ejus, quæ Virum habet. Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.* In his verbis Apostolus per allegoriam realem (ex mystico historiæ illius sensu literalem h. l. faciens) duo Testamenta sistit, quorum unum servitutis, alterum libertatis: unum finibus angustioribus, laxioribus alterum contentum: unum desitutum, alterum permanens. De quibus fusius alio loco ac tempore nobis erit agendum.

§. 14. Hoc tantum, cur DEUS duo fœdera post lapsum cum hominibus pepigerit, & unum quidem ἀνεπιτόν i. e. reprehensibile, quod abrogandum erat, quærimus. Causam quidem hujus rei à priori scimus nullam, sed voluntatem facientis totam facti rationem putamus. A posteriori tamen ἀπὲν προκρίµατος, reddi fortan hæc posset, quod DEUS eandem fœdum cum personis singulis, cum Ecclesia sua

p. 298

APH

Erangelium

Verbo ab

in l. m.

S

S. Enj

stium voc

an. semel

ab breviari

Culac. Ser

gelium esse

fido incarn

nata fuerit

dus, sed qui

num & in

lari in unan

m. Quo

tem l. m.

lari l. m.

lari l. m.

DEI habent

rationem d

moralis Pad

non tamen d

sua rationem observaverit. Hominem convertendum per malleum legis primū conterit, antequam dulcissimæ gratiæ suæ gustum per fidem ipsis faciat: purulenta peccatorum vulnera vino peracri prius eluit, antequam lenissimum gratiæ oleum infundat: Ita voluisse DEUM durissimo legum jugo prius exercere Judæos videtur, ut infirmitatem suam agnoscerent, eoq; anxius ad Messiam & liberationem ab onere isto anhelarent, secundum tritum istud:

Dulcia non sentit, qui non gustavit amara.

APHORISMUS I.

Evangelium est breve verbum de Verbo abbreviato. Bernhardus in serm. super fest. nat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Propter duplicem significatum vocis Verbi, quod semel $\pi\epsilon\sigma\phi\omicron\gamma\iota\chi\omicron\nu$, semel $\epsilon\omega\sigma\alpha\tau\iota\chi\omicron\nu$ denorat, ut & vocis abbreviati aphorismus hic est obscuriusculus. Sensus autem hunc habet: Evangelium esse brevem concionem de DEI Filio incarnato. Non quod DEUS in sua natura fuerit imminutus, aut deterior factus, sed quod humanam naturam, se minorem & inferiorem non respuendo illam in unitatem $\epsilon\omega\sigma\alpha\tau\iota\chi\omicron\nu$ suæ assumserit. Quorsum etiam nonnulli referunt vocem $\epsilon\omega\sigma\alpha\tau\iota\chi\omicron\nu$ ex initiali & finali nominis $\epsilon\omega\sigma\alpha\tau\iota\chi\omicron\nu$ litera contractam, quod nimirum hæc ipsa respectus ad incarnationem Filii DEI habeatur. Paucis Evangelium esse concionem de Christo. Licet enim lex moralis Pædagogus noster sit ad Christū, non tamen directè, sed indirectè nos ad

Christum ducit, dum scil. ostendit nobis morbum periculosissimum & jubet quærere Medicum, ubi ubi tandem ægrotus illum inveniatur. Medicum autē istum nobis monstrat Evangelium. Sacrificia quod attinet, vel considerantur, ut actus onerosi, sive ut sarcina $\delta\upsilon\sigma\beta\acute{\alpha}\varsigma\alpha\upsilon\tau\omicron$ i. e. *portatu difficilis*, vel, ut typi futuri Messiae. Priore modo spectata pertinent ad legem, & rigorem legis moralis obsignant: posteriore ad Evangelium. Quare, cum Angelus latus nuncium de nato Messia erat allaturus, verbum $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\epsilon\lambda\iota\zeta\omicron\mu\alpha\iota$ usurpat *Lucæ 2. v. 10.* Nec voce Christi tantum persona ejus, sed & officium, quin & omnia, quæ fuerunt ab ipso parta, beneficia, præprimis gratuita peccatorum remissio, quam satisfactioe suæ perfectissimā nobis acquisivit, veniunt. Nec enim in carnem DEI Filius venisset, nisi nos à peccatis salvos facere voluisset. *Venit Filius hominis servare, quod perierat Matth. 18. v. 11.* Non venit, ut sibi ministraretur sed ut ipse ministraret, & daret animam suam $\lambda\omicron\tau\epsilon\omicron\nu\ \alpha\upsilon\tau\iota\ \pi\omicron\lambda\omega\tau\iota$ i. e. *precium redemptionis pro multis. Matth. 20. v. 28.* *Venit in mundum, ut peccantes salvos faceret 1. Tim. 1. v. 15. carnis & sanguinis, non secus ac pueri, pariceps factus est, ut per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium, Hebr. 2. v. 14. ad hoc apparuit, ut opera Diaboli dissolveret 1. Joh. 3. vers. 8.*

§. 2. *U*sus aphorismi hujus in didacticis est, ut objectum Evangelii verum, Christum scilicet contritorem capitis serpentine, semen benedictum, in quo benedicendæ sunt omnes familiæ terræ, Jehovah justitiam nostram, vel quod perinde se haber, remissionem peccatorum propter Christum, rectè teneamus.

§. 3. *In*

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, qui novas leges cum auxiliis gratiæ, nec non Socinianos, qui dandam immortalitatem obtemperantibus novis CHRISTI legibus objectum Evangelii volunt, usus aphorismi huius esse potest. Ubi videmus Bernhardum Doctorem snellifluum, qui circa initium seculi duodecimi vixit, de doctrina Evangelii rectius sensitse, quam Scholastici temporibus subsequentibus, qui legem & Evangelium miscuerunt, & ex duobus integris unum fecere corruptum.

APHORISMUS II.

p. 300 Evangelium est longum & breve.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Adscribitur hic aphorismus Bartholomæo à Dionysio Areopagita in Theologia mystica c. 1. Εὐαγγέλιον εἶναι πλατὺ καὶ μέγα καὶ αὐτὸς συντέλει μὲνον. h.e. Evangelium esse latum & magnum, rursusq; concisum. Ubi dubio procul Autor ad duplicem tractandi modum, qui vel brevior, vel longior esse potest, respicit. Evangelium breve potest esse vel ipsum nomen JESU suavissimum, quod Salvatorem significat, prout Angelus ipse nobis etymologiæ rationem suppeditat Matt. 1. v. 21. vocabis nomen ejus JESUM, quia salvum faciet populum suum à peccatis. Cum itaque JESUM nominamus, autorem & consummatorem salutis nostræ intelligimus, ut usum nobis monstrat B. Bernardus in hac precatione jacularia: Domine JESU, esto mihi JESUS: propter nomen tuum fac mihi

secundum nomen tuum. Vel etiam Evangelium breve potest esse brevis illa concio, quæ in gentiliis & Judæorum conversione utebantur Apostoli, credere nimirum JESUM esse Christum, DEI Filium. Ubi notandum, vocabulum JESU esse nomen proprium Salvatoris nostri, quod in circumcissione ipsi fuit impositum, & quo discernebatur ab aliis hominibus, nomen autem CHRISTI appellativum, cui vocabulum Messie respondet in lingua Hebræa, ita ut sensus sit, credere JESUM esse Christum, DEI Filium, credere JESUM Nazarenum Hierosolymis crucifixum esse promissum Messiam, eumq; non nudum hominem, sed DEI Filium. Sic Paulus Damasci probabat, *JESUM hunc esse Christum*, daß dieser sey der Christ / Act. 9. v. 22. Et hanc summam credendorum tum temporis fuisse docet Joh. c. 20. historiæ suæ Evangelicæ v. 31. Hæc scripta sunt, ut credatis, JESUM esse Christum, DEI Filium, & ut credentis vitam habeatis per nomen ipsius. Sic Petrus à Salvatore quaesitus, quis sit, respondet: Tu es CHRISTVS, Filius DEI vivi, Matth. 16. v. 16. Et propter hanc causam morti addicebatur, tanquam blasphemus, quod se CHRISTUM DEI Filium dixisset, Matth. 26. vers. 65. # Quantumvis autem tum temporis sufficere poterat hæc summa, quam tamen concionibus prolixis illustrabant Apostoli: quia tamen hodie Syncretistæ & omnis generis versipelles in religione sub eadem delitescere possunt, non immerito fusiores Evangelii descriptiones de CHRISTI persona, officio & beneficiis, in primis satisfactione pro peccatis nostris & parta peccatorum remissione gratuita jungimus.

§. 2. P/sus

§. 2. Usus aphorismi hujus esse potest, si, præsertim in periculis, aut morbis vehementioribus constituti, & verborum non multum facere queamus, ut nomen Domini JESU, parvum Evangelium, invocemus, ad imitationem Stephani Protomartyris ingemiscens: *Domine JESU*, (qui secundum nomen tuum à peccatis saluum me fecisti:) *suscipe Spiritum meum*, Act. 7. v. 59.

§. 3. In polemicis, cum Evangelium parvum & magnum JESUM Salvatorem nostrum non novas leges, objectum habeat, adversus Pontificios & Socinianos idem usus, qui prioris, esse potest.

APHORISMUS III.

Lex & Evangelium sunt duæ doctrinæ diversæ, non adversæ.

SCHOLIUM. Loc. X. Aph. I.

§. 1.

UTraque enim est DEI verbum, utraque DEUM Autorem habet, utraque in se vim habet vivificandi. Quod autem lex post lapsum non vivificet, id fit per accidens, propter naturæ nostræ corruptionem, prout Apostolus inquit Rom. 8. v. 3. *Quod impossibile erat legi, siquidem per carnem infirmabatur, id præstitit Deus misso Filio &c.* Lex moralis est æterna & immota divinæ justitiæ regula, de qua Salvator Matth. 5. v. 18. *quod cælum & terra prius transire debeant, quam jota unum, vel apex unus de lege in terram decidat.* Et v. 17. *quod non venerit solvere, sed implere legem.* Evangelium est doctrina de gratuita peccatorum remissione per & propter Christum. Vel decretum Dei temporibus æternis absconditum, nunc autem patefactum de mit-

tendo Reparatore generis humani, qui justitiæ divinæ peccatis ejusdem læsæ ἀποθεῖν ἱσχύοντες persolvat. Si DEUS justissimus citra satisfactionem peccata liberaliter dimittere, vel quid pro quo acceptillare diceretur, tunc Evangelium doctrinæ legis adversari videretur: Sed temperamentum justitiæ, & misericordiæ hic conspicitur. Justitiæ peccata citra plenariam satisfactionem non remittentis: Misericordiæ, satisfactionem illam à Christo, ac si à nobis præstita fuisset, accipientis. Hinc utraque doctrina in usu debet esse conjunctissima. Quod Lex nobis mandat, id Evangelium præstitum esse annunciat. *Legem per fidem destrui-* 302 *mus? Absit: sed legem stabilimus*, Apostolus Rom. 3. v. 31. inquit. Et capite 10. v. 4. *Christum τελειῶσιν ἡ νόμος* i. e. *perfectionem legis ad salutem omni credenti pronunciat.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut media via inter Legistas tantum & puros putos Evangelicos, legera ex Ecclesia proscribentes incedamus, & veram non tantum de lege, sed & Evangelio doctrinam teneamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios & Socinianos conciones legales tantum crepantes, ut & Antinomos, Islebii Sectatores, legem ex Ecclesia in Curiam, quin & patibulum amandantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Lex ligat & damnat: Evangelium solvit & salvat.

SCHOLIUM.

§. 1.

UTut lex & Evangelium in sese non sint doctrinæ adversæ, sed diversæ, contrarios

Gg

trarios

trarios tamen effectus habere videntur. Lex enim ligat & damnat: Evangelium solvit & salvat. Lex ligat & damnat, cum de peccato nos convincit, & iram DEI, pœnasque tum temporales, tum æternas annunciat. Evangelium verò peccata per Christum expiata, credentibus remissa, DEUM propitium & salutem eum temporalem, tum æternam annunciat. De duabus clavibus, ligante ac solvente, Christus agit, *Matth. 16. v. 19. Dabo tibi claves regni cœlorum, & quicquid alligaveris in terra, erit alligatum in cœlis: & quicquid solveris in terra, solutum erit in cœlis.* Quantumvis autem ad Petrum Christus hæc verba pronunciet, quia tamen is, tanquam Os Apostolorum (quæstio enim ad omnes erat directæ,) reliquorum nomine respondit, non tantum ad omnes Apostolos, verum etiam ad eorum in ministerio successores hoc pertinet. Id quod patet ex *c. 18. v. 18. Matth.* ubi oratio Christi ad omnes dirigitur: *Amen dico vobis, quæcunq; ligaveritis super terram, ligata erunt in cœlo: & quæcunq; solveritis super terram, soluta erunt in cœlo.* Nec non *Johannis 20. c. v. 22. Accipite Spiritum S. quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis; quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.* Clavem ligantem Ecclesia (quæ tanquam Domina, Petrus & Ecclesiæ ministri tanquam Oeconomi claves has habent,) per
 303. conciones legales exercet, peccatorem impœnitentem, scandalosum & notorium de peccato convincens, eidemque iram DEI & pœnas cum temporales, tum æternas, nisi resipiscat, annuncians: solventem per Evangelium, pœnitentibus & in Christum credentibus peccata remittens, & cœlum iisdem aperiens. Cla-

vis utraque vel generalis est, vel specialis, quarum illa peccatores in genere concernit, & pro concione sæpius exercetur: hæc ad certas personas extenditur. Utramque Pontifex R. in suis insignibus decussatim sibi superimpositam, unam auream solventem, alteram ferream ligantem, cum superimminente corona triplice super cœlestia, terrestria & infernalialia, vel, ut alii volunt, super Europam, Africam & Asiam, tanquam Petri successor & cœli claviger, à quo potestas retinendi & solvendi peccata derivetur in inferiores, gerit; sed propter satisfactiones pro pœnis temporalibus, & reclusiones regnorum mundanorum adulterinas.

§. 2. Ut abusus hic ex legis & Evangelii turpissima confusione oritur: Sic missum facimus, & usum aphorismi hujus in distinctis & penè contrariis utriusque doctrinæ legis & Evangelii effectis monstramus.

§. 3. In polemici adversus dictos Canones Pontificios, qui contritionem etiam ad Evangelium pertinere volunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS V.

Pro-Evangelium idem quod Post-Evangelium docet.

SCHOLIUM.

§. I.

Sunt ex Theologis, qui loci Paulini ad *Gal. 3. v. 8.* quadam *ἀπομυῖ* adducti Evangelium in Pro-Evangelium & Post-Evangelium dividunt. Locus autem iste Paulinus ita sese habet: *Providens autem Scriptura quod Deus ex fide justificet gentes, ἀπομυῖσεν τῇ Ἀβραάμ, i. e. prius*

prius rem latam annuntiavit, vel *εὐαγγέλιον* attulit Abraham, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Per Pro-
Evangelium itaque dicti Theologi promissionem hanc Abraham & ipsius posteris factam, per Post-Evangelium promissionem de Propheta magno cœlitus, ut audiat, nobis commendato, imò cum pœnæ comminatione demandato, *Deuter. 18. v. 20.* quod post sancitum fœdus hæc posterior facta fuerit, intelligunt. Norandum autem particulam *εὐ* vel ad fœdus legale post migratam Ægyptum formaliter cum Israelitis ietum, vel ad *εὐαγγέλιον* strictissime sic dictum, ut est concio de Messia jam exhibitio, respectum habere. Si respectum habet ad fœdus legale, promissio de Propheta magno Post-Evangelium non incongruè vocatur; Si verò ad Evangelium in strictissima significatione acceptum, promissio ista, *Deut. 18.* facta, non secus ac vel prima promissio de semine mulieris constituto caput serpentis, vel Abraham & posteris de semine benedicto, in quo benedicendæ sunt omnes familiæ terræ, vel omnes *παῖδες* reliquæ, ut conciones sunt de Messia exhibendo, *Act. 13. v. 32. Rom. 1. v. 1. 2.* & Evangelio strictissime sumto contradiſtinguuntur, *εὐεὐαγγέλιον* dici potest. Utramque promissionem de CHRISTO agere, citatio in N. T. quod clavis veteris est, facta docet. Priorem enim promissionem de Christo Paulus *Gal. 3. v. 16.* posteriorem Petrus, *Act. 3. v. 22.* exponit. Hoc tantum interest, quod prior ad officium magis Sacerdotale, posterior ad Propheticum respiciat. Quam ob causam CHRISTUS Prophetiam magnam *Lucæ 7. v. 16.* & Prophetam in mundum

mittendus, *Joh. 6. v. 14.* dicitur, & à Patre cœlitus *Matth. 17. v. 5.* nobis audiendus commendatur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut CHRISTUM *πλ.* Scripturæ *σκιμαῖον* agnoscamus, prout ipse *ἐν κεφαλῇ* i. e. in primo capite, in prima sectione Scripturæ V. T. ubi promissio prima continetur, de se scriptum esse, *Ps. 40. v. 10.* & ad *Hebr. 10. v. 7.* testatur. Christus ipse Scripturas, quas scrutari jubet, nominatim Moſen testimonium sibi perhibere dicit, *Joh. 5. v. 39. 48.* Paulus in fundamento doctrinali, quod Prophetæ & Apostoli posuerunt, Christum *λίθον ἀκρογωνιαίον* i. e. lapidem angularem vocat, *Eph. 2. v. 20.* Petrus omnes Prophetas de Christo testari *Act. 10. v. 43.* statuit. *Autor epistolæ ad Hebræos* doctrinis variis nos circumferri prohibens, Jesum Christum Heri & Hodie fuisse *2. 13. v. 8.* asserit.

§. 3. Usus in Polemicis adversus Socinianos, qui conciones legales totius Scripturæ scopum esse volunt, ut etiam Pontificios fructum Dominicæ liberationis ad N. T. tempora restringentes, esse potest.

APHORISMUS VI.

Consilia Pontificiorum Evangelica sunt minus consulta.

SCHOLIUM.

§. 1.

Consilium ejusmodi definiunt Pontificii, quod sit opus à Christo nominatum, sed indicatum; non mandatum, sed commendatum. Vocantur ab ipsis Evangelica, quod in Evangelio, scriptis Evangelistarum & Apostolorum

Gg 2

nobis

nobis commendentur : & perfectionis , quod perfectos nos faciant & religiosos præprimis deceant : opera verò consulta supererogationis (rectius superarrogationis,) quod plus faciant, quam lex à nobis requirat. Differunt ipsis consilium & præceptum secundum quatuor causarum genera, & 1. quidem ratione causæ efficientis, quod præcepta sint omnium, consilia perfectorum, quales sunt religiosi. 2. ratione materiæ, quod præceptum sit facilius, consilium difficilius : præceptum sit bonum, consilium sit melius & perfectius. 3. ratione formæ, quod præceptum obliget, consilium sit liberum. 4. ratione finis, quod præceptum observatum habeat præmium, non observatum inferat pœnam : Consilium si non servetur, pœnam nullam pedissequam habeat, si verò servetur, majus præmium consequatur. Consilia quidem ipsa non negamus, cum Paulus ipse inter præceptum Domini, suumque consilium distinguat 1. Cor. 7. v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo : Consilium autem do,* sed Pontificia repudiamus. Hæc enim falsis nituntur hypothefibus, quod homo non tantum legem implere, sed plus etiam, quàm in lege mandatum est, præstare possit : neve perpluat, hypothefin hanc hypothefi nova tegunt, quod summus legis gradus nobis à Deo non imperetur, sed ut finis tantum, ad quem tendere debeamus, ostendatur, propterea quod impossibilia non nisi Tyrannus præcipiat.

§. 2. Hypothefin primam quod attinet, tantum abest, ut homo in statu corruptionis plus præstare queat, quàm lex præcipit, ut ne quidem injunctorum satagere, vel tantum quantum lex à nobis requirit, facere queat. *Volentibus enim facere bo-*

num καὶ οὐκ ἐπιτιμῶντες Rom. 7. v. 21. ἀμαρτία ἐνοικεῖται ibid. v. 17. καὶ ἐν ἐλευθερίᾳ Hebr. 12. v. 1. congruentiam nostrarum actionum cum lege non parum collululat, ut Paulus citatis locis desuper queritur, & quilibet pravæ conscientiæ motus in se sentiens experitur. Hinc Ecclesia Israelitica suam justitiam cum panno menstruatæ comparat, Esa. 64. v. 6. Secundam hypothefin, quod summus legis gradus nobis à DEO non præcipiatur, vel unicus locus Gal. 3. v. 10. ex Dent. 27. v. ult. desumptus destruit : *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus verbis legis.* In quo singula verba singula pondera. Nec enim duntaxat universalitas duplex ibidem habetur, sed & permanentia in lege requiritur, ita, ut natura hominis cum lege congruat, nec ulla cogitatiuncula per omnem vitam *παρανομίας* cum lege turber. Jam inter 10. verba legis etiam duo præcepta de concupiscentia continentur, de qua Paulus dicit Rom. 7. v. 7. *Concupiscentiam non novissem, sc. peccatum esse, nisi lex dixisset : Non concupisces.* Adde, quod *impingens in uno, reus sit omnium, Jacobi c. 2. v. 10.* Nec tertia hypothefis recto stat talo, quod sc. impossibilia præcipiens sit Tyrannus. Quoties enim debitorum, præsertim decoctores, qui solvendo non sunt, creditoribus sua restituere jubentur, quod tamen factu ipsis est impossibile ? Nisi sc. DEUS possibilitatem istam homini concessisset, & ipse propria malitia impossibilitatem istam sibi met accersivisset, tunc forsan hypothefis aliquid obtineret. Sed homo in creatione prima vires implendi legem accepit, quas sua malitia perdidit.

§. 3. Sed, ut revertamur intra oleas, nos consilia in rebus liberis & indifferenteribus,

APHORISMUS VII.

Evangelium nec præceptiones, nec ³⁰⁷ comminationes, sed suaves invitationes habet. Item: Promissionibus Evangelicis conditio non operis, sed organi est annexa.

SCHOLIUM.

§. I.

Cum Pontificiis Evangelium nova lex sit, ut quidam errori huic obviam fiant, videntes quod Evangelium etiam aliquid ex nostra parte requirat, non præcepta, sed consilia, in alia tamen subjecta materia occupata, Evangelio transcribunt. Propter abusum tamen termini, & ne quid consiliis Evangelicis Pontificiorum tribuere, vel commune quid cum iisdem habere videamur, alii ab continentiam ab hac locutione suadent. Dicunt itaque non præceptiones, sed invitationes suaves Evangelium habere. Vide disp. H. Höpferi de fide justificante, respondente Johanne Hülsemanno Anno 1627, h. l. habita. Chemnitius super pericopam Evangelicam Dominica XXIV. in Ecclesia explicari solitam sic loquitur: Wenn wir weder durch des Gesetzes Drohung/ noch durch des Evangelii Locken zu Christo kommen wollen &c. Ejusmodi suavis invitatio habetur Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Ego reficiam Vos &c.* Sunt etiam ex orthodoxis, ut ipse Lutherus, qui promissiones Evangelii non conditionatas volunt. Sed cum sine fide nobis nihil prosint, inter conditionem operis & organi quidam distinguunt. Conditionem operis Lutherus ab Evangelii promissionibus excludit, non

Gg 3

organi,

rentibus, non autem divinitus præceptis, (cum præceptum DOMINI & Consilium Pauli sibi met opponantur) locum habere, statuimus, e. g. si quis consilium alterius secutus, à certo genere cibi, potus, vestitus, à conjugio (si continentiae dono præditus sit), à manupretio pro labore, vigiliis & lucubrationibus abstineat, quæ non mandata, sed in manu facientis sunt relicta, cultus & meriti rationem nullatenus habentia. Circa numerum consilio-

rum ejusmodi non convenit inter Pontificios, unde dubio procul Bellarminus controversiam hanc non attingit. Tribus Consiliis Evangelicis, sive perfectionis, quæ sunt paupertatis, castitatis & obedientiae, alii plura jungunt, ut vindictæ intermissionem, & percussioneis tolerantiam, Matth. 5. v. 39. Luca 6. v. 29. elemosynarum in obvios quosque petentes largam distributionem, Luc. 6. v. 30. fugam occasione peccandi, Matth. 18. v. 9. neglectum curæ victus, Matth. 6. v. 31. & βλασφημίας mulieris, orationem pro persecutoribus, & plura, quæ recensentur à Christo in concione Matth. 5. & Luca 6. habita. Paucis: Consilia quidem admittimus, sed in rebus indifferentibus, non divinitus mandatis: nec perfectionis, vel commoditatis & utilitatis, πρὸς τὸ συμφέρον, ut Apostolus inquit, 1. Cor. 7. v. 35.

§. 4. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut doctrinam de consiliis non parum à Pontificiis intricatam, nec Evangelio, quod est doctrina de Christi, propriam rectius teneamus.

§. 5. In Polemicis adversus dictos Pontificios usus esse potest.

49 (0) 50

organum. Quod autem fides in circulo justificationis nostræ non ut opus consideretur, i. e. quod meriti rationem habeat, aut in se tam dignum sit, ut propter hoc ipsum Deus hominem justificet, ex oppositione operum & fidei patet, ut *Rom. 3. v. 28.* Colligimus igitur, fide justificari hominem, absq. operibus legis. Et ad *Gal. 2. v. 12.* Scimus, non justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnis caro. E. Fides non ut opus legis primo præcepto mandatum, sed quia refertur ad suum obiectum Christum tanquam medium & organum apprehendens, consideratur. Operis autem nomine meritum oppositum gratiæ intelligi, ex *cap. II. Epistola ad Rom. v. 6.* liquet: Quod si per gratiam, non jam ex operibus: quandoquidem gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia: quandoquidem

308. opus non est opus. Hinc Theologi observant, opera vel gratiæ, vel fidei opponi: Si gratiæ, denotent merita, & sic ad justificationem sint imperfecta: Si fidei, denotent organa, & sic sint inepta. Operibus enim legis Christum applicare sibi velle, nihil aliud esset, quam calcaneo elemosynam accipere velle.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut Evangelium & legem, nec non utrumque pactum, vetus & novum, probe discernamus, & quæ vera doctrina de utroque sit, rectè teneamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios legem in Evangelium transformantes, usus esse potest, ut. *Id est, q. d. ex Reformatis, v. v. Osterwaldius, q. tractat. Gall. des Sources de la Corruption, Part. 1. Chap. 4. p. 122. 123. dicit, Evangelium in h. b. suas maledictiones et comminationes, et q. d. m. graviores, comminationes legis. idq. probare conat ex Hebr. X. 28. lego.*

APHORISMUS VIII.
Lex Evangelica videtur esse *ειδηρό-
ζυλον.*

SCHOLIUM.

§. 1.

Nihil frequentius Pontificiis est in ore, quam lex Evangelica, nova sc. illa, quam Christus novus legislator tulit. Verum cum lex & Evangelium sint duæ doctrinæ diversissimæ, longius, quam duo disparata illa, ferrum & lignum, à se invicem remotæ, tutius ab hac locutione abstinemus. Non quidem fugit nos, legis fidei mentionem in scriptis Paulinis fieri, sed stylo Hebræis usitato per vocem legis doctrinam Apostolus intelligit, prout apud Hebræos vox *תורה* & doctrinam & legem significat. Pontificios autem per Evangelium legem propriè dictam intelligere, notius est, quam ut filo prolixiore probandum sit impræsentiarum.

§. 2. Quare cum in superioribus de discrimine utriusque doctrinæ pluribus actû fuerit, crambem eandem recoquere nolentes usum aphorismi hujus in didacticis, quod faciat ad meliorem legis & Evangelii cognitionem, & utriusque in theoria differentiam; in polemicis, quod adversus Pontificios nobis prosit, exertis digitis monstramus.

APHORISMUS IX.
Juramenta per Evangelia præstita cum grano salis sunt accipienda.

SCHOLIUM.

§. 1.

Nota est clausula juramenti ex Papatu ad nos translatis annexa, (quæ observantur adhuc in Ecclesiis cathedralibus reformatis, & ritus inde promanans etiam in Consistoriis & aliis Evangelicorum

309.

collegiis, ut nimirum ad initium Evangelii Johannis apponantur duo digiti,) sic me Deus adjuvet per sancta Evangelia: vel, sic me servant sancta Evangelia. Quia nimirum Evangelii voce quatuor Evangelistarum scripta intelligunt, vel initia quatuor horum librorum formulæ juramenti subjungunt, vel, cum Johannes Theologus, qui præ cæteris Evangelistis Christi deitatem asseruit, inter hosce quatuor præcipuus habetur, ad initium Evangelii Johannis duos digitos apponi volunt. Verum cum dicti libri & legalia & Evangelica in se contineant, magis probatur illa clausula juramenti annexi solita: Sic me Deus adjuvet per Jesum Christum, Filium suum dilectum, vel, sic me Deus adjuvet per sanctum Evangelium suum, quod est doctrina de Christo Salvatore, vel de gratuita peccatorum remissione per & propter Christum. *Nec enim in alio salus est, nec aliud nomen hominibus sub caelo datum est, in quo nos oporteat salvari, quam nomen Iesu Christi, Act. 4. v. 12.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut non tantum de propria significatione vocis Evangelii simus certi, sed etiam verum sensum clausulæ juramenti annexæ teneamus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS X.

Paulus proprium quoddam Evangelium non scripsit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Cum Paulus dicit *Rom. 2. v. 16. Indicabit Dominus secundum Evangelium meum*, colligere quis posset, Paulum

etiam peculiarem historiam Evangelicam à reliquis 4. distinctam scripsisse. Sunt, qui per hoc Evangelium Paulinum intelligunt Evangelium Lucæ, qui comes fuerit itinerum Pauli, & ab ipso materiam contentam acceperit. Sed rectius Evangelium, quod Paulus inter gentiles docuit, doctrinam sc. de Christo, cujus respectu quatuor Evangelia sunt unum, nos hic intelligimus: Consonantiam nimirum & nucleum doctrinæ suæ, quod nihil sciverit, nisi *Iesum crucifixum, 1. Cor. 310. 2. v. 2. & quod pro reſtamenti omnia*, si conferantur ad excellentiam cognitionis hujus, habuerit, hac loquendi formula significare voluit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis *παραποῖα* & certitudo fidei nostræ circa perfectionem Scripturæ S. esse potest.

§. 3. In polemicis adversus eos Pontificios, qui libros quosdam Paulinos, ad arguendam imperfectionis Scripturam, amissos objiciunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Evangelii promissiones sunt universales.

SCHOLIUM.

§. 1.

Calviniani, prout consignatū reliquerunt, quide consolandis ægrotis (ut Joh. Spinæus Gallus, in linguâ tamen Germanicam translatus) scripserunt, licet dicta scripturæ classica de Christi redemptione, de justificatione per fidem, exclusis operū meritis, moribundis proponant, propter particularitatem tamē nulla fieri potest applicatio. Si enim ægrotus hypotheliū Calvinianarū gnarus opponat, sibi quidem de dictis hiisce optimè constare, sed tamen didicisse,

per

per absolutum aliquod decretum divinum ad paucissimos pertinere, fluctuare se, an promissiones gratiæ sibi emolumento sint futuræ; Consolator ejusmodi parum proficiet, nisi fidem ægroti, velut in ollam sortilegam manum, in objectum incertum ferri jusserit. Firmiori fides nostra fundamento nititur, quippe quæ sub universalibus promissionibus indubitanter subsumit, sibi que Christum redemptorem Catholicum cum suis beneficiis applicat. Hac ratione credens cum Paulo dicere potest *Gal. 2. v. 10. Filius Dei dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Christus in me suam misericordiam & clementiam spectandam exhibuit 1. Tim. 1. v. 16.* Promissiones autem Evangelicas universales esse, uno vel altero probabimus exemplo. Promissio Abrahæ & ipsius posteris facta communis est omnibus familiis terre: *In te & in semine tuo benedicentur omnes familia terra, Gen. 12. v. 3. c. 18. v. 18. c. 22. v. 18. c. 26. v. 4. c. 28. v. 14. In Christum coniecta dicuntur omnium hominum peccata, Es. 53. v. 9. Agnus Dei portasse dicitur peccata mundi Joh. 1. v. 29. Propitiatio dicitur, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis 1. Joh. 2. v. 2. Christus promittit, se crucifixum omnes ad se pertrahentem Joh. 12. v. 32. Se venisse, ut salvum faceret, quod perierat Matth. 18. v. 11. Se venisse, ut animam suam daret pretium redemptionis pro multis, non pro paucis ex absoluto decreto ad vitam æternam electis, Matth. 20. v. 28. Multi enim vocati & pauci electi sibi met opponuntur, Matth. 22. v. 14. In 1. Tim. 2. v. 6. dicitur semetipsum dedisse ἀντὶ πάντων i. e. pretium redemptionis vicarium pro omnibus. Neve quis de sufficientia potentiali, vel hypothetica excipiat, potuisse Christi meritum esse*

sufficiens pro omnibus hominibus, si Deus voluisset, adjicienda sunt loca, quæ de voluntate Dei universali agunt, ut *Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 1. Tim. 2. v. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. 2. Petr. 3. v. 9. Deus non vult ullos perire, sed ut penitentiam agant omnes.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in tentationibus circa particularitatem, præsertim in ultimo cum Satana conflictu, esse potest.

§. 3. In Polemicis adversus Calvinianos absolutarios, sive Supralapsarii, sive Sublapsarii sint, usus ejusdem esse potest.

APHORISMUS XII.

Summa Christianorum ars est legem ignorare.

SCHOLIUM.

§. 1.

Persuasum sibi aliquis habere posset, hoc dictum Lutheri Antinomis legem Ecclesia in Curiam, quin & patibulum elegantibus favere, sed tandem abest, ut Theander istis Schismaticis patrocinetur, ut etiam vivus adhuc Johannem Agricola Islebiensem acriter confutaverit. In certo vero casu, quando nimirum conscientia nostra fulminibus legis propter peccata terretur, aphorismus hic locum habet: Tunc enim homo legem postponere, inque Christum tantum πάλιν τὴν νόμον i. e. perfectionem legis respicere debet, ac si nesciret, esse legem. *Iusto enim lex posita non est, sc. ratione maledictionis & condemnationis, 1. Tim. 1. v. 9.*

§. 2. Usus aphorismi hujus rursus in

tenta-

DE POENITENTIA.

241

tentationibus, cum lex in cordibus nostris fulgurare incipit, esse potest.

§. 3. In Polemicis adversus Legistas Pontificios, Evangelium in legem trans-

formantes ; & Socinianos conciones tantum legales primarium Scripturæ scopum venditantes, usus esse potest.

Locus XII.

De

POENITENTIA.

§. 1. **P**ostquam hominem in statu integritatis & corruptionis vidimus, & media restitutionis proposuimus, jam ad ipsam restitutionem, vel reparationem, accessum faciemus. Quod naufragis est portus, lapsis est poenitentia. *Respicite & credite Evangelio*, prima Salvatoris erat concio, postquam officium suum Propheticum immediatum in hisce terris aggressus erat, *Marci 1. v. 15.* Sic, *antequam in caelum ascenderet*, poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes predicare jussit, *Luce 24. v. 47.*

§. 2. Vox poenitentiae Pontificiis, ad satisfactiones suas respectum habentibus, à poena dicitur, quod homo propter peccata sua fiat Heautontimorumenus, deque seipso poenam sumat. Rectius autem à pone tenendo, quod cogitationes hominis in semetipsum descendentes posteriores sint meliores, derivatur. Et hac ipsa deductione propius ad Græcum μετανοίας, quod est à μετα & νός quasi posterior mens, acceditur. Habent & Græci vocabulum μεταμέλεια, quod à priori πένε μετανοίας nonnulli differre volunt in hoc, ac si μετάνοια poenitentiam salutarem, μετα-

μελεια exitiosam, qualis fuit Judæ, denotet. Sed, licet vocabulum prius ut plurimum in bonam, posterius μεταμελείας in malam sumatur, assertio tamen non est αίνεσις, cum in bonam de Filio frugi, qui prius ad mandatum Parentis in vineam abire, ut ibidem operaretur, nolebat, sed tamen μεταμελῆθεις, i. e. poenitentia ductus abiit, *Matth. 21. v. 29.* sumatur. Calvinianis vocabulum resipiscentiæ forsan propter abusum vocis poenitentiae apud Pontificios, vel quod contritionem pro parte poenitentiae non habeant, usu tritius est & frequentius. Hebræis poenitentia vel potius conversio ad Deum תשובה à radice שוב i. e. conversus est, litera ת ab initio & ה à fine apposita, descendit.

§. 3. Vocabulum poenitentiae vel ὁλκώς pro tota poenitentia, contritione ac fide constante, vel μετάνοια, pro contritione, poenitentiae parte, sumitur: Et in hac significatione posteriore, quando vel fidei, vel remissioni peccatorum contradistinguitur, (ut *Marci 1. v. 15. Poenitentiam agite, & credite Evangelio, vel Luc. 24. 47. 313.* cum Christus poenitentiam & remissio-

Hh

acm